

modo, mercedem intuetur æternam, imprimis etiam intendere, saltem virtualiter, ut glorificetur Deus, quia totum illud in gloriam Dei cedit, et in illum tanquam in ultimum finem ordinatur.

CAPUT XIII.

UTRUM MODUS OPERANDI EX METU ET NECESSITATE VITANDI ALIQUOD DAMNUM AD MERITUM SUFFICIAT, VEL ILLUD EXCLUDAT?

1. *Arguitur non sufficere ex defectu bonitatis in tali modo operandi.* — Quæstionem hanc superius attigi, et in hunc locum remisi, ut simul omnia quæ in ea dubitationem facere possunt, et quæ ad completam explicationem libertatis et bonitatis actus meritorii necessaria videntur, simul tractarem. Ex illo enim duplici capite ratio dubitandi in præsentem oriri potest. Nam imprimis in tali modo operandi non videtur esse bonitas ad meritum sufficiens, nam qui sic operatur, per se non intendit facere bonum, sed vitare malum, quia propter quod unumquodque tale et illud magis; sed qui sic operatur, solum id facit ut evitet malum; ergo hoc est quod maxime vult; ergo per se non vult bonum; ergo nec operatur bonum eo modo quo ad meritum necessarium est. Confirmatur et explicatur, nam qui sic operatur, ita est affectus ut, si necessitas vitandi malum non cogeret, bonum non faceret; cum enim adæquata causa tunc operandi sit necessitas vitandi malum, ut supponitur, recte colligimus, cessante tali causa, cessaturum effectum; ergo in illo modo operandi virtute includitur dicta conditionalis; ergo tale obsequium non videtur dignum præmio, neque habere bonitatem, quæ apud Deum inspectorem cordis ad illud sufficiat. Et hinc facile probatur altera pars de libertate, quia, licet libertas intercedat, est tamen valde imperfecta, et quæ plus habet necessitatis; ergo non est satis ut Deus tale opus in meritum acceptet, quia neque est propter illum factum. neque coacta obsequia illi sunt placita. Et utrumque videtur confirmari verbis illis Pauli, 2 ad Corinth. 9: *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus;* et sententia illa Augustini apud Prosper., Sentent. 178: *Nemo invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit, quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis.*

2. *Si de metu culpæ agatur, sufficit ad me-*

ritum, quia et bonitatem habet. — Ut quæstioni respondeamus, oportet distinguere de quo timore sermo sit. Est enim duplex malum, culpæ, scilicet, et pænæ; hic autem non potest esse sermo de priori, nam timor culpæ filialis est et optimus, et nascitur ex amore Dei, cujus offensio est culpa. Quod si non sub ea ratione consideretur culpa, qua est Dei offensa, sed quatenus habet moralem malitiam, quamvis timor illius non sit ita perfectus sicut prior, est nihilominus moraliter bonus simpliciter, et ex amore honestatis et illius virtutis nascitur cui tale malum opponitur. Unde dubium non est quin in opere quod fit ex timore talis mali, et ad vitandum illud, sit sufficiens bonitas ad meritum, eo modo quo in aliis operibus virtutum esse potest. Quia, licet vitare malum, ut sic, non sit agere bonum, tamen velle vitare hoc malum est facere aliquod bonum ex ea parte sufficiens ad meritum, ut supra, c. 10, dictum est. Neque ex vi talis metus potest actui deesse sufficiens libertas, quia metus ipse omnino liber est, sicut est amor honesti illi malo contrarii. Unde, licet contingat aliquem ita coactum necessitate præcepti aliquid velle vel nolle agere, solum quia non potest aliter vitare culpam, et simul habens illam conditionatam voluntatem, quod, si præceptum non interveniret, oppositum ageret (quod saltem in præceptis positivis sine peccato fieri potest), hoc totum nihil obstaret, quominus in tali actu esset sufficiens voluntas et libertas ad meritum, quia semper ibi intervenit voluntas absoluta servandi præceptum, et vitandi malum contrarium, quæ simpliciter et omnino libera est, et in illa fundatur totum subsequens meritum, quod est in tali modo operandi.

3. *Item timor pænæ, quæ sit nocumentum boni supernaturalis, sufficit ad meritum ex omni parte.* — Rursus malum pænæ duplex etiam est, scilicet, æternæ et temporalis, et sub æterna includere possumus omnem spiritualem pœnam, quæ aliquo modo minuit auxiliantem Dei gratiam, et de se redundare potest in aliquod nocumentum in bonis æternis, quatenus potest esse aliquo modo occasio homini, vel amittendi gloriam æternam, vel minorem consequendi. Et de timore hujus pænæ, seu de opere facto propter vitandam talem pœnam, nullam movemus quæstionem, nam supponimus de fide certum timorem hujus pænæ esse bonum et supernaturalem, et ex divina inspiratione procedentem, ut Concilium Tridentinum tra-

dit, sess. 6, cap. 6, et sess. 14, cap. 4, et in præcedentibus, præsertim lib. 2 et 8, sæpe diximus, et latius in tom. 4 de Pœnitent., disput. 5, sect. 2. Ex quo principio aperte sequitur, bonum esse opus quod ex tali timore fit, etiamsi tale opus ad vitandum tale malum tanquam in finem proximum ordinetur, quia ille finis bonus et supernaturalis ordinis est, et ad illum deservire non potest nisi opus bonum, vel, quod perinde est, fuga voluntaria alicujus moralis mali. In hoc ergo opere et voluntate sine dubio est bonitas de se ad meritum sufficiens. Neque etiam de sufficiente libertate dubitari potest, quia ibi nulla intervenit necessitas, nisi quam sibi ipsi infert libera voluntas, ita diligendo vitam æternam, vel spiritualia bona, ut efficaciter timeat contraria mala, et inde ad aliquod bonum operandum excitetur, quæ non est necessitas, sed plena, et ut ita rem explicem, constans et efficax libertas. De hoc ergo modo operandi eadem est ratio quæ de alio in præcedenti capite tractato, et ita dicta de illo possunt ad præsentem applicari.

4. *Pro relatione de timore pænæ temporalis notatio multiplicis timoris.* — Solum ergo de timore pænæ temporalis superest quæstio. Hic autem timor duplex distingui solet: unus immissus a Deo, et alius ab hominibus. Sub priori membro includitur omnis timor temporalis mali, qui a causis naturalibus provenit, quia non est ab hominibus immissus, nec sine Dei providentia venit, ut est timor mortis in infirmitate, vel naufragii in tempestate, et similibus. Timor autem humanus interdum directe incuti potest ad cogendum hominem ut tale opus faciat, verbi gratia, quod det eleemosynam, vel tale votum faciat, vel quid simile. Aliquando vero non ea de causa timor immittitur, sed alia interdum justa, interdum injusta, et ille, qui timorem patitur, ad bonum opus faciendum inde inducitur, ut, cum quis timens, ne ab inimico occidatur, Deum orat, vel eleemosynam facit, etc.

5. *Assertio prima: operari bene ex timore pænæ temporalis a Deo immissio, non obstat merito.* — Primo ergo dicendum est, quando quis operatur bonum ex timore temporalis mali a Deo immissio, illum timorem, quantum est de se, non impedire meritum operis, si alioqui debitis circumstantiis fiat, prout fieri potest, non obstante timore. Hoc certissimum est, potestque imprimis usu et exemplis ostendi. Nam qui infirmitate oppres-

sus ex timore mortis eleemosynas facit ut vitam impetret, non propterea eleemosynarum meritum amittit. Idem est de eo qui in naufragio votum facit, ut evadat periculum, nam illud votum nihilominus meritum est. Idemque est in omnibus similibus casibus juxta communem sensum Ecclesiæ et fidelium. Ratio autem est, quia in illo opere non deest sufficiens libertas, nam timor ille, licet excitet et inducat, non tamen necessitatem infert, quæ absolutam libertatem impediatur, licet aliquantum illam minuatur. Et patet facile, quia votum sic factum validum est, tenetque donatio, et transfert dominium eleemosynæ sic facta, quæ tamen valere non solent sine consensu libero. Idem patet a contrario, quia opus malum factum ex simili metu peccatum est etiam mortale, si materia sit capax. Ratio denique clara est, quia potest homo, si velit, non uti illo medio ad evadendum periculum mali, sed alio vel nullo pro sua libertate.

6. *Quantum ad bonitatem ostendi videtur in eo casu deficere.* — Probatur tamen dari etiam bonitatem. — Magis potest dubitari de bonitate actus sic facti, nam hoc tempore malum quid indifferens est; ergo intentio vitandi illud de se non est bona; ergo neque opus ex illa factum videtur habere bonitatem aptam ad meritum, quia hæc esse debet bonitas honesta; hæc autem neque ex fine indifferente accipi, neque ad illum recte ordinari potest. Nihilominus dicendum est hoc non obstare, quominus tale opus bonitatem habeat merito non improportionatam. Nam imprimis fieri potest ut timor ille non constituat finem operi, sed tantum sit occasio ad illud faciendum excitans, sicut de pœnitentia diximus in tom. 4, loco citato, et tunc si opus sit bonum ex objecto, potest ex proprio motivo honesto fieri, et ad Dei gloriam vel ad animæ salutem aliquo modo ordinari, non obstante timore, qualiscumque ille sit, quia non est circumstantia operis, sed occasio extrinseca et accidentaria. Deinde, licet evitare malum quod timetur sit finis proximus, propter quem fit tale opus, nihilominus potest illa intentio esse honesta, et bonum opus in illum finem prudenter referri, quia, licet malum illud temporale sit, potest bonum illi contrarium honeste appeti, vel quia per se est consentaneum naturæ rationali, ut est vita, vel sanitas, vel alia similia bona, quæ cum de-

bita moderatione propter se appeti possunt, vel quia, licet bonum illud sit de se indifferens, potest ad ulteriorem finem honestum ordinari; ergo etiam carentia mali contrarii potest sub ea ratione per aliud bonum opus procurari.

7. *Assertio secunda idem statuens, quando timor ab homine immittitur, non ad extorquendum ipsum bonum opus directe.* — Secundo, idem dicendum est etiam si timor sit ab homine incussus, non directe ad extorquendum bonum opus, sed ob aliam causam. Ratio eadem potest ad hoc probandum applicari, quia etiam ille timor non aufert libertatem operis, nec per se inducit circumstantiam quæ bonitatem auferat quam vel ex objecto, vel ex aliquo bono fine tale opus habere potest, et hoc totum semper est in libertate operantis, non obstante metu. Adde etiam quod, licet ille metus relatus ad causam proximam sit humanus, et, prout ab homine male fit, non sit per se ex suggestione divina, nihilominus relatus ad Deum non fit sine ipsius permissione ac providentia, et ideo sub hac consideratione æquiparatur cuicumque periculo alicujus temporalis mali, quod ab intrinseco vel ab extrinsecis causis naturalibus provenire potest; ergo eadem ratione potest justus illo timore pœnæ uti, vel tanquam occasione, vel tanquam fine proximo ad opus bonum ac meritorium faciendum. Quod etiam facile potest exemplis supra inductis et cum proportione applicatis confirmari.

8. *Assertio tertia, quando directe immittitur ad extorquendum.* — *Probatur intervenire etiam tunc libertatem.* — Denique adde tertio, etiam si metus sit directe immissus ab homine ad extorquendum ab altero tale opus, hoc nihil ob stare quominus possit tale opus meritorie fieri. Probatur eodem discursu, nam supponimus opus, ad quod fit coactio, de se bonum esse, aut posse bene fieri, quando sine coactione fit; sed coactio vel timor non potest efficaciter auferre a tali opere illas duas condiciones ad meritum necessarias, libertatem, scilicet, et honestatem. Probatur prior pars de libertate, quia etiamsi metus directe immittatur propter tale opus, simpliciter non cogit voluntatem ut faciat, ut per se notum est; ergo simpliciter manet operatio libera. Neque obstat involuntarium secundum quid, quod ibi miscetur, et illa conditione explicatur: *Nisi cogerer, non facerem*, quia imprimis hoc non excludit quominus illa

voluntas absoluta et sufficienter libera sit; deinde potest homo pro sua libertate non habere illam conditionatam voluntatem, quia neque ad illam cogitur, aut inde habet necessitatem; imo potest homo, si velit, contrarium propositum habere, scilicet: *Etiam si non cogerer, facerem*. Adde præterea, quamvis homo illam conditionalem voluntatem actu habeat, non ideo privari merito alterius boni, si supponamus tale opus tunc non cadere sub præceptum; sic enim illa voluntas conditionalis tunc de se non est peccaminosa, et ideo impedire non potest vel bonitatem, vel meritum alterius absolutæ et efficaciæ voluntatis quam homo habet efficiendi in tali occasione tale opus bonum. Multis enim aliis exemplis ostendi potest similem conditionatam voluntatem meritum non impedire, ut, si quis velit absolute servare præceptum jejunii, etiamsi hanc habeat voluntatem: *Si non esset præceptum, non jejunarem*, meritum suum non amittit.

9. *Probatur deinde intervenire quoque bonitatem.* — Et hinc facile patet altera pars de bonitate, nam, etiamsi metus sit ea intentione immissus, non destruit in opere sic facto bonitatem objecti ejus, nec addit actui aliquam malam circumstantiam, nam illud malum, quod caveri intenditur, faciendo opus bonum, ejusdem rationis est, etiamsi tali intentione, vel alia, coactio inferatur. Et exemplis facile potest declarari, nam filius, vel famulus, qui audit Missam ne incurrat comminatum pœnam, si non audierit, nihilominus si id faciat modo debito, et in cultum Dei, nihilominus opus virtutis ac meritorium faciet. Quod si fortasse simul habeat hanc deliberationem, quod non audiret, si non timeret pœnam, et coactio fiat, et ab illo, qui non potest sub præcepto obligare ad Missam, et eo tempore pro quo non est in præcepto, tunc, ut dixi, illa voluntas per se non est mala, et quamvis facile possit esse otiosa, non tamen est circumstantia alterius operis, sed ad summum concomitans, et ideo non auget alterius actus bonitatem, et ideo neque meritum simpliciter impedit, quamvis possit illud minuere, voluntatem seu conatum ejus minuendo.

10. *Ad argumentum in num. 2.* — Atque ita facilis est responsio ad rationem dubitandi; jam enim ostensum est quomodo in illo opere nec bonitas nec libertas sufficiens desit. Nam, licet tale opus fiat propter vitandum aliud malum, nihilominus fieri potest propter intrinsecam bonitatem, si illam habeat,

quia metus non impedit talem modum volendi et operandi. Quod si opus non sit ex objecto bonum, dummodo turpe non sit, potest ad honestum finem ordinari, quia ipsa vitatio mali, propter quam fit, potest ex honesta causa intendi, ut declaravi. Neque obstat conditionata voluntas, ut dixi; tum quia potest interdum non haberi, et sola præsumptio, vel eventus sub conditione futurus non refert ad meritum vel demeritum, si præsens voluntas desit; tum etiam quia, licet de facto habeatur, potest non esse mala, nec impedire voluntatem bonam, ut etiam declaravi. Quod si contingat voluntatem illam esse de actu pro tunc præcepto, ac proinde malam, illa ex alio capite impedit meritum, quia et est grave peccatum, et repugnat bonitati operis; nam, licet materialiter bonum sit, non potest cum tali voluntate fieri, quatenus honestum est. Denique ad alteram partem de libertate negatur illum modum libertatis vel bonitatis non sufficere, ut Deo sit acceptabile meritum; tum quia illud non est obsequium simpliciter coactum, sed ad summum secundum quid; tum etiam (quod notandum est) quia coactio humana etiam secundum quid et per metum non cadit in actum internum, nisi quasi materialiter, ut sic dicam, vel generatim ad actum voluntatis, qui ad illum actum externum sufficiat, sive bonus sive malus sit. Quod ergo, stante metu, homo debito et honesto modo velit facere illud opus, hoc certe mere liberum et voluntarium est, et ideo qui sic operatur, non potest dici omnino ex necessitate aut invitus bene operari. Per quod etiam testimoniis inductis satisfactum est.

CAPUT XIV.

UTRUM STATUS GRATIÆ IN OPERANTE SIT CONDITIO AD MERITUM DE CONDIGNO NECESSARIA?

1. *Falsa Baii opinio.* — *Ex quo alio errore processerit.* — Hactenus explicuimus condiciones ex parte operis ad hoc meritum necessarias; nunc dicendum sequitur de conditionibus, quæ ex parte personæ operantis postulatur, e quibus duæ sunt præcipuæ, scilicet, status gratiæ, et status viæ; de quibus in hoc et sequenti capite dicemus. In quæstione igitur proposita, fuit nova opinio Michaelis Baii, ut supra retulimus, prolegom. 6, capite secundo, cujus propositio decima tertia hæc erat: *Pelagii sententia est: Opus bonum, ci-*

tra gratiam adoptionis factum, non est regni cælestis meritorium; et in 15 dicit, *rationem meriti non consistere in eo quod qui bene operatur, habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obediat divinæ legi;* et in 18 dicit, *sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium, ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublegetur ad statum Deificum.* Et eandem doctrinam sæpe repetit in suis libris, ut in Bulla Gregorii XIII contra illum refertur. In qua sententia præter novitatem, singularitatem et falsitatem doctrinæ, illud admiratione dignum videri potest, quod dixerit cum Pelagio sentire, qui statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei ad meritum de condigno postulant. Nam Pelagius non solum non tribuebat huic gratiæ meritum vitæ æternæ, verum potius neque illam agnovit, neque etiam auxiliantem gratiam ad tale meritum necessariam esse credidit, ut supra prolegom. 5 vidimus. Baius tamen procedit ex alio errore facto supra, prolegom. quarto, capite primo; putavit enim homini non fuisse necessariam gratiam, nisi ratione culpæ, nam, secluso peccato, credidit naturæ humanæ ex vi suæ primæ creationis esse debitam vitam æternam, ita ut acceptari ad illam non sit gratia seu gratuita adoptio, sed naturale donum, et quia Pelagiani non adeo errarunt, ut negarent esse necessariam parvulis adoptionem, quamvis negarent habere peccatum, ideo dixit cum Pelagianis sentire, qui hanc adoptionem gratiæ dicunt esse ad meritum necessariam. Ipse enim ex contrario principio intulit, hominem, in pura natura conditum, potuisse mereri vitam æternam sine gratia adoptionis, et (quod gravius est) idem nunc dicit de homine peccatore; ait enim de catechumeno, in propositione 19, mereri de condigno vitam æternam, priusquam remissionem peccatorum obtineat, quamvis illam non sit consecuturus, nisi prius præcedentium peccatorum impedimenta tollantur. Pelagius vero, licet gratiam adoptionis, quatenus per Baptismum datur, aliquo modo concesserit, ut constat ex Augustino, libro sexto contra Julian., capite quinto, alias nono, tamen in adultis non videtur credidisse illam gratiam esse necessariam ad meritum, sed potius credidit posse comparari per meritum operum, quæ solis viribus liberi arbitrii fieri posse existimavit. Sed contra hunc errorem, quatenus negabat necessitatem auxiliorum gratiæ, satis dictum est in superioribus; nunc vero